

men ut aliquam imaginem saltem ignis illius et poenae
15 capiamus, recordare si quando quis febrium nimio ardore
succeditur, quae angustiae, quis cruciatus corpori atque
animaे insidant ! et ex hac temporali poena metire quanta
sint illa supplicia quae aeternus ignis inflamat, quae flu-
vius ignis percurrens ante tribunal illud horrificum undis
20 poenalibus inrigabit. Ibi quid agemus, quid responde-
bimus ? Nihil erit nisi stridor dentium, nisi ululatus et
fletus et sera paenitudo, cessantibus undique auxiliis et
undique invalescentibus poenis. Sed nec solatium quidem
usquam ullum ; nullus enim occurrit oculis nostris nisi
25 soli poenarum ministri et facies ubique dira tortorum et,
quod est omnium tetrius, ne aeris quidem ipsius erit
ullum solamen aut lucis. Circumdabunt enim poenarum
loca tenebrae exteriores et ignis ille sicut naturam non
habet consumendi, ita nec illuminandi, sed est ignis obs-
30 curus et flamma tenebrosa. In his autem positis quis tre-
mor, immo quae resolutio viscerum sit divulsioque mem-
brorum ? quae vae quantaeque omnibus sensibus cruces,
nullus nunc sermo poterit explicare. Sunt enim diversae
et variae poenarum facies et pro peccatorum quantitate
35 singulis quibusque multiplicantur et poenae. Quod si dicas
et quomodo tot malis sufficiet corpus ad poenam finem
temporis nescientem, considera quae in hac vita inter-
dum accidunt et ex parvis magna conicito. Quomodo
interdum videmus nonnullos longissima aegritudine confici
40 nec tamen eis exosae vitae terminum dari, aut etsi corpus
morte aliquando dissolvitur sed anima non consumitur,
unde constat quod si immortalitatem etiam corpus accepe-